

**DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII
IN ECCLESIA LATINA
ET IN ECCLESIIS ORIENTALIBUS
TENTAMEN EXPLICATIONIS CONCORDANTIS**

In Ecclesia latina hodie tenetur uti doctrina communis et certa¹ ministros sacramenti matrimonii esse sponso ipsos qui ineunt matrimonium validum; in Ecclesiis autem orientalibus tenetur ministrum esse sacerdotem vel episcopum qui nuptias benedicit. Talis discrepantia doctrinae proponitur et in *Catechismo Ecclesiae Catholicae*, approbato et promulgato die 11 octobris 1992 a Ioanne Paulo II per Constitutionem Apostolicam *Fidei depositum*:

Nella Chiesa latina, si considera abitualmente che sono gli sposi, come ministri della grazia di Cristo, a conferirsi mutuamente il sacramento del matrimonio esprimendo davanti alla Chiesa il loro consenso. Nelle Chiese orientali, il ministro del sacramento (chiamato «incoronazione») è il presbitero o il vescovo che, dopo aver ricevuto il reciproco consenso degli sposi, incorona successivamente lo sposo e la sposa in segno dell'alleanza matrimoniale².

¹ Cf. A. ADNÈS, *Le Mariage*, Tournai 1963, 151.

² *Catechismo della Chiesa Cattolica*, parte II, art. 7, II, n. 1623: Città del Vaticano 1992, 415-416. Non est admittenda sententia eorum qui asserunt affirmationem Catechismi de sacerdote ministro sacramenti matrimonii esse referendam tantummodo ad Ecclesias orientales orthodoxas, non vero ad Ecclesias orientales catholicas. Imprimis Catechismus non curat de exponenda doctrina non catholicorum. Dein constat etiam catholicos orientales tenere sacerdotem esse ministrum sacramenti.

Nemo non videt difficultatem quae exsurgit ex hac discrepantia doctrinae circa ministrum sacramenti matrimonii. Patet etenim sacramenta, quoad ea quae sunt institutionis divinae, non posse habere aliam structuram pro Ecclesia latina aliam vero pro Ecclesiis orientalibus. Ideo aut terminus «minister» non univoce sumitur in Ecclesiis orientalibus ac in Ecclesia latina aut, si univoce sumitur, ratio discrepantiae quaerenda est in elementis ex voluntate Ecclesiae inductis in structuram sacramenti matrimonii, vi quorum in Ecclesia latina coniuges, in Ecclesiis vero orientalibus sacerdos benedicens dicuntur ministri sacramenti.

Notandum est documenta magisterii Ecclesiae nihil expressis verbis dicere hac super re. Concilia enim Florentinum et Tridentinum quae satis ample de diversis aspectibus doctrinalibus matrimonii egerunt, questionem de ministro silentio praeterierunt. Nec Const. *Gaudium et spes* Concilii Vat. II hanc questionem tetigit. Pari modo magna documenta pontificia recentiora, uti sunt encyclicae *Quanta cura* Pii IX, *Arcanum* Leonis XIII, *Casti Conubii* Pii XI nihil directe de ministro dicunt. Unicus textus magisterii pontificii, qui rem per transennam quidem nec clare notat, invenitur in enc. *Mystici Corporis* Pii XII, 29.6.1943: «Matrimonio enim, quo coniuges sibi invicem sunt ministri gratiae...»³.

In hac elucubratione intendo explicationem aliquam tentare, quae ex una parte salvet id quod proprium est sive doctrinae Ecclesiae latinae sive doctrinae Ecclesiarum orientalium, iuxta textum *Catechismi Ecclesiae Catholicae* supra transcriptum; ex

³ AAS 35 (1943) 102.

alia vero parte evitet illam contradictionem, saltem apparentem, quae inter duas propositiones doctrinae percellit.

De hac quaestione egi in Symposio Internationali de Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium, quod diebus 24-29 aprilis huius anni 1995, in Universitate Sancti Spiritus Kaslik, in Libano, celebratum est, in cuius actis meum studium hac super re edetur. Attamen opportunum duxi eandem quaestionem ulterius illustrare circa plures aspectus quos in illo Symposio non potui satis exponere, quo mea sententia, ut spero, clarius pateat.

1. *Quaestio in Ecclesia latina*

Doctrina de ministro non potuit maturare nisi simul cum pluribus quaestionibus iisdemque implicatissimis, quae specificae sunt sacramenti matrimonii, quas inter memorandae sunt quaestiones de sacramentalitate ipsa matrimonii uti sacramenti quod gratiam confert ex opere operato, de habitudine inter foedus coniugale et sacramentum, de signo sacramentali, de causa efficienti e finali sacramenti, de materia et forma huius sacramenti. Huiusmodi questionum aliquae non nisi lento et titubanti pede progressae sunt. Nostra hic interest prae oculis habere praesertim quaestionem de signo sacramentali sacramenti matrimonii.

In confesso est adhuc durante toto saeculo XII magnam partem theologorum ac canonistarum tenuisse sacramentum matrimonii esse quidem signum significans, non vero esse signum efficax gratiae ex opere operato. Ex alia parte inde a primordiis Ecclesiae etiam occidentalis magnum momentum ad sanctificandum matrimonium christianum tributum est riti-

bus liturgicis, signanter benedictioni sacerdotis⁴. Immo non desunt textus etiam magnorum theologum s. XIII qui videantur tribuere benedictioni sacerdotali efficaciam peculiarem ad gratiam producendam, ac si ponerent in hac benedictione sacramentum ipsum, quantum est productivum gratiae. Scribit v. gr. dominicanus Card. Hugo de Saint-Cher:

In aliis sacramentis virtute sacramenti confertur gratia vel augmentum gratiae sed non in matrimonio virtute matrimonii confertur gratia. Aliquando tamen datur vel virtute sacerdotalis benedictionis vel propter intentionem contrahentium⁵.

Et. S. Bonaventura:

Matrimonium accipit rationem spiritualitatis et gratiae, quando consensus iungitur benedictioni, ubi explicatur si-

⁴ Sufficiat duos textus memorare. Scribit Tertulianus: «Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet?» (*Ad uxorem*, II, VIII, 6: CCL I, 339). Et S. Ambrosius, dissuadens matrimonia cum paganis: «Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici ubi non est fidei concordia?» (*Epist.*, 29,7: PL, 16, 984). Peculiaris significantionis est responsio ad bulgaros *Ad consulta vestra* Nicolai I, 13 novembris 866, in qua postquam describit ritus celebrationis matrimonii — inter quos eminent, oblatio, velatio, incoronatio et benedictio — concludit efferens sufficientiam nupturientium consensus, atque ineffaciam ceterorum omnium ad sacramentum matrimonii: «...Sufficit secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur; qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata frustantur» (DS 643). Textus clare quidem affirmat ineffaciam ceterorum omnium si defuerit consensus, at non dicit quinam sit influxus ceterorum omnium si consensus adfuerit.

⁵ *In Sent.*, ms. de Bâle, fol. 139: Cit. a LE BRAS, *Mariage*, in DThC, IX, 2, 2210.

gnificatio et obtinetur per benedictionem sanctificatio, et ideo in benedictione sacerdotali consistit ratio spiritualis praecipue [...] quae [benedictio] etsi videtur annexa sacramento, utique fit in quantum signum; in quantum tamen efficaciam et est ecclesiasticum, spectat ad eius esse completum⁶.

Attamen paulatim durante saeculo XIII doctrina maturescit clare distinguens causalitatem ex opere operato sacramenti matrimonii, quae reponitur in solo consensu partium, causalitatem ex opere operantis coniugum iuxta eorum dispositiones subiectivas, et causalitatem Ecclesiae orantis precibus, ritibus et sacramentalibus.

Stabilito firmiter matrimonium esse sacramentum sensu stricto, ponitur quaestio difficilis de signo sacramentali. Notum est Scholasticos applicando theoriā hylemorficā etiam ad signum sacramentale distinguere in ipso signo partem indeterminatam, quae materiam vocant (v. gr. lavacrum aquae pro baptismo) et partem determinantem, quae et formam appellant (v. gr. verba «ego te baptizo...»). Haec analysis, quae utilis esse potest in aliis sacramentis ubi habetur materia aliqua indeterminata (lavacrum aquae, unctio olei, etc.) et verba quae materiam illam in signum sacramentale determinant, haud leves generat difficultates, si sacramento matrimonii (et poenitentiae) applicatur. Attamen ad intelligendos auctores classicos cum de signo sacramentali matrimonii agunt, talis theoria prae oculis habenda est. Huc accedit quaestio gravissima de gradu determinationis signi ex parte Christi Institutoris sacramentorum,

⁶ S. BONAVENTURA, *In IV Sent.*, Dist. 26, a. 2. q. 2, ad 4: Opera Omnia IV, Ad Claras Aquas 1889, 669.

quae adhibitis conceptibus materiae et formae tractari solet.

Scotus proponit quaestionem de signo sacramentali matrimonii peculiari claritate:

Vel enim Deus instituit ita indeterminatum signum, ut sit signum efficax gratiae, sicut indeterminatum signum requisitum ad contractum: vel magis determinavit illud, quod debet esse efficax gratiae, quam ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum; et si sic, vel determinavit aliqua verba praecise, puta, accipio te in meam, vel in meum; vel determinavit indifferenter quaecumque verba exprimentia talem consensum⁷.

Haec propositio quaestionis est maximi significationis quoad explicationem quam tentabimus proponere ad conciliandam doctrinam Ecclesiae latinae et Ecclesiarum orientalium circa ministrum sacramenti matrimonii. Non defuerunt auctores inter quos et ipse Duns Scotus qui, praecise quia pro forma signi sacramentalis exigebant certa verba de praesenti, sensu materiali sumpta, concludebant matrimonium inter absentes vel inter mutos esse quidem validum quia contractum at non esse sacramentum. Attamen satis celeriter maturavit sententia iuxta quam in signo sacramentali matrimonii non requiruntur verba sensu materiali sumpta, sed sufficit quaelibet expressio consensus. Ad rem S. Bonaventura:

Omne sacramentum signum est et ut signum administratur; et ideo istud est necessarium. Sed in aliquibus est materia determinata et forma verborum praescripta, quae vim habent sibi ad hoc datam; et talia sacramenta numquam

⁷ DUNS SCOT, *In IV Sent.*, dist. 26, q. un., n. 14: Opera IX, Lugduni 1639, 587.

*fiunt nisi illa verba pronuntientur. In aliquibus autem non venit vis a verbo exteriori, sed ab intrinseco, ut in poenitentia quantum ad confessionem et in matrimonio; et in talibus sufficit qualiscumque fiat expressio, sive verbo, sive scripto, sive etiam quocumque nutu alio*⁸.

Simul cum his omnibus implicatis quaestionibus agitur quaestio de ministro. Ad finem medii oevi doctrina de coniugibus ministris sacramenti est sat communis. Nec deest qui animadvertat: «Non est propria locutio, quod sacerdos conferat hoc sacramentum sicut coetera, sed coniuges sibi mutuo conferunt et accipiunt»⁹.

Concilium Florentinum quod in aliis sacramentis quis sit minister expressis verbis indicat, de matrimonio dicit tantummodo: «Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus»¹⁰. Ex hac tamen affirmatione arguitur coniuges esse ministros sacramenti, cum sint ipsi et soli ipsi qui consensum ponant.

Pari ratione arguitur ex concilio Tridentino. Quamvis Concilium ne verbum quidem dicat de ministro, in decreto *Tametsi* expressis verbis affirmat matrimonia clandestina esse vera et rata sacramenta¹¹, in quorum celebratione nullus alius intervenit nisi coniuges qui consensum praestant. Ideoque logice concluditur ipsos esse ministros sacramenti.

Nondum clausum erat concilium Tridentinum

⁸ S. BONAVENTURA, *In IV Sent.*, dist. 28, a. un., q. 4: Opera Omnia IV, Ad Claras Aquas 1889, 693.

⁹ G. BIEL, *Suppl. In IV Sent.*, dist. 25, q. 2, prop. 8: Brixiae 1574, 107a.

¹⁰ DS, 1327.

¹¹ DS, 1813.

cum Melchior Cano edidit opus *De locis theologicis* (a. 1563) in quo acriter defendit materiam sacramenti esse contractum naturalem; formam vero esse benedictionem sacerdotis; ministrum denique sacerdotem benedicentem. Attamen influxus Melchioris Cano quoad ministrum fuit potius exiguus, cum quaestio iam esset tunc temporis satis matura. Quod non impedit quominus durante toto saec. XVIII perduraret aliqua incertitudo quoad rem. Ipse Benedictus XIV declarat *valde probabilem* opinionem de sacerdote ministro sacramenti¹².

Animadvertendum est inde a medietate saec. XVIII doctrinam de identitate et de inseparabilitate contractum inter et sacramentum consolidatam esse, a Magisterio ordinario Ecclesiae pluries propositam. Positis autem principiis identitatis et inseparabilitatis contractum inter et sacramentum sequitur necessitate logica coniuges esse ministros sacramenti matrimonii. Ideo, ut supra indicavi, in Ecclesia latina haec doctrina hodie tenetur uti doctrina communis et certa.

2. *Quaestio in Ecclesiis orientalibus*

«Nella disciplina orientale — scribit Mons. Prader — il “rito sacro” che consiste nella benedizione nuziale, riservata al sacerdote, è richiesto per la validità del matrimonio. Questa disposizione generale del can. 828, § 2 CCEO si fonda nella millenaria tradizione delle Chiese orientali, cattoliche e non cattoliche»¹³.

¹² BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioec.*, 1. 8, c. 13, n. 4.

¹³ G. PRADER, *La forma di celebrazione del matrimonio nel Codice latino e nel Codice orientale*, in *Il matrimonio nel Codice dei Canonici delle Chiese orientali*, Studi Giuridici 32, Città del Vaticano 1994, 286. In hoc studio plures citationes referuntur

Imperator Leo Philosophus anno 895 in Novella 89 praescribit benedictionem nuptialem uti unicam formam celebrandi matrimonii. Benedictio nuptialis imponitur ad validitatem, et quidem non ad probandum matrimonium celebratum, sed uti elementum constitutivum ipsius matrimonii¹⁴. Secundum Mons. Prader, ex hac conceptione, quae consolidatur plene inde a saec. XII, efformatur opinio in diversis theologis graecis iuxta quam sacramentum matrimonii consistit in benedictione sacerdotis et minister sacramenti est sacerdos benedicens. Attamen, animadvertit Prader, usque ad saec. XIX haec opinio non fuit doctrina praevalens in Ecclesiis orthodoxis. Alii theologi graeci et russici reponebant essentiam sacramenti matrimonii in consensu sponsorum. Tantummodo versus finem saec. XIX devenit doctrina communis in Ecclesiis orthodoxis sacramentum consistere in benedictione sacerdotis necnon ministrum sacramenti esse ipsum sacerdotem benedicientem¹⁵.

Ad rem scribit Ae. Herman ad finem eruditissimi articuli de momento benedictionis nuptialis in iure byzantino:

Ultima superest difficultas: asserunt enim benedictionem idcirco necessariam habitam esse quod byzantini mini-

quae confirmant reapse «ritum sacrum», saltem a saeculo IX exeunte, requiri ad validitatem in Ecclesia Byzantina. Ex eis aliquas referemus in confirmationem nostri propositi.

¹⁴ «Extra dubium manet quoque — scribit P. Herman — quod sine benedictione matrimonium prorsus nullum sit et benedictio non solum ad probandum matrimonium (ut in Ecloga) sed ad constituendum matrimonium requiratur» (Ae. HERMAN, *De benedictione nuptiali quid statuerit ius byzantinum sive ecclesiasticum sive civile*, in *OrChrPer* 4, 1938, 211).

¹⁵ Cf. G. PRADER, *La forma di celebrazione* (cf. nt. 13), 286.

strum sacramenti matrimonii putaverint sacerdotem. Sed ex tota nostra expositione apparet talem persuasionem illis temporibus omnino non exstitisse et ne leve quidem talis affirmationis in fontibus fundamentum inveniri. Si matrimonium sine benedictione iniri non posse affirmant, id solum ex legibus Leonis et Alexii deducunt. De matrimonio sacramento vel non sacramento multo post disputare coeperunt, sub influxu praesertim theologiae latinae. Primus Iob Iasita (altera parte saec. XIII) sacerdotem ministrum benedictionis esse affirmavit, si revera, tractatus de septem sacramentis ei adscribendus est. Quemadmodum coeterorum omnium sacramentorum, ita matrimonii ministrum sacerdotem esse iudicavit. Sed haec opinio non praevaluit. Symeon Thessalonicensis sacramentum matrimonii consensu contrahentium perfici credidisse videtur et haec sententia saeculis posterioribus plura suffragia obtinuit. Tantum ex saeculo XVIII praevalere coeperunt qui sacerdotem ministrum matrimonii haberent, minus rationibus theologicis quam polemicis nixi. Nostris temporibus haec doctrina dein apud dissidentes multo communior evasit. Cf. quae de ha re praeclare scripsit P.M. Jugie¹⁶.

Positis his datis historicis, unum interest nostra quam maxime efferre: scilicet multum temporis antequam Concilium Tridentinum imponeret formam canonicam uti sollemnitatem necessariam ad validitatem matrimonii, in Ecclesiis orientalibus etiam catholicis, exigebatur ad validitatem sacramenti matrimonii ritus sacer, minimum benedictio sacerdotis¹⁷. Huui-

¹⁶ AE. HERMAN, *De benedictione* (cf. nt. 14) 232-233. In nota citat: M. JUGIE, *Theologia dogmatica christianorum orientalium*, III, Parisiis 1930, 448s.

¹⁷ Circa varietatem rituum et formularum celebrandi matrimonii in diversis ritibus catholicis orientalibus, cf. A. COUSSA, *Epitome praelectionum de Iure Ecclesiastico orientali*, III. *De matrimonio*, Romae 1950, 220-233, nn. 188-197; quoad acatholicos, 235-240, nn. 198-202. Ex textibus quos affert auctor patet esse syntheticum et generale illud assertum saepius repetitum,

smodi autem ritus sacer potius quam uti «forma aliqua canonica» cuius finis est reddere certam in facie Ecclesiae celebrationem matrimonii, concipiebatur, uti videtur, tamquam quid quod adeo profunde incidit in structuram ipsam sacramenti ut simul cum consensu constituat sacramentum matrimonii.

Constat praeterea in locis Ecclesiarum catholicarum orientalium, ubi promulgatum est decretum *Tametsi* vel vigit decretum *Ne temere*¹⁸, simul cum forma canonica praescripta perrexisse requiri etiam ritum sacrum ad validitatem, uti elementum constitutivum sacramenti. Quod indicat iuxta mentem orientalium ritum sacrum non pertinere ad «formam canonicam» sed esse elementum profundius connexum cum sacramento.

Denique cum promulgatus est M.P. *Crebrae allatae* quo prima vice in historia imposita est pro omnibus Ecclesiis orientalibus catholicis forma canonica (assistencia sacerdotis competentis et duorum saltem testium communium), conservatus est ritus sacer ut elementum necessarium ad validitatem celebrationis matrimonii. Textus canonis 85 M.P. *Crebrae allatae* sic recitabat:

secundum quod in Ecclesiis orientalibus requiritur ritus sacer ad validitatem. Habetur enim magna varietas celebrationis et non semper requiritur ad validitatem benedictio sacerdotis.

¹⁸ Pro locis ubi promulgatum est decretum tridentinum *Tametsi* atque etiam pro locis ubi vigit decretum *Ne temere* diei 2 augusti 1907, cf. A. COUSSA, *Epitome* (cf. nt. 17) 211-220, nn. 181-187. Pro casu specifico maronitarum, cf. E. EID, *La celebrazione del matrimonio dei maroniti fuori del territorio del patriarcato prima del motu proprio «Crebrae allatae»*, in *Dilexit iustitiam*, Studia in honorem Aurelii Card. Sabattani, Città del Vaticano 1984, 65-75.

§ 1. Ea tantum matrimonia valida sunt que contrahuntur ritu sacro, coram parrocho, vel loci Hierarcha, vel sacerdote cui ab alterutro facta sit facultas matrimonio assistendi et duobus saltem testibus...

§ 2. Sacer censetur ritus, ad effectum de quo in § 1, ipso intuitu sacerdotis adsistentis ac benedictis.

Posita hac redactione canonis, nihil mirum si ritus sacer intellectus sit ab auctoribus uti unum elementum essenziale formae canonicae, additum quidem illis elementis essentialibus quae formam canonicam tridentinam constituunt. Ritus enim sacrum debet perficere ipse sacerdos qui competens est, potestate ordinaria vel delegata, ad assistendum celebrationi matrimonii. Nec esset validum matrimonium celebratum coram sacerdote competente et duobus testibus, si ritus sacer perficeretur ab alio sacerdote non competente ad assistendum illi matrimonio. In disciplina latina non opponitur validitati matrimonii factum quod sacerdos competens assistat matrimonio sensu iuridico et alius sacerdos perficiat omnes ritus liturgicos praescriptos, non exclusis interrogationibus ad contrahentes. Celebratio huiusmodi esset illicita, sed valida. In disciplina orientali e contra sacerdos competens necessario debet perficere aliquem ritum sacrum, saltem benedictionem sponsorum.

Attamen, ut diximus supra, in Ecclesiis orientalibus ritus sacer, multo tempore antequam forma canonica inducta esset a Concilio Tridentino, iam erat elementum necessarium ad validitatem celebrationis matrimonii. Pariter etiam postquam inducta est forma canonica tridentina ritus sacer perrexit esse elementum requisitum ad validitatem, non quidem vi legis tridentinae, quia haec nihil dicit de ritu sacro. Ideo concludendum est saltem pro tempore quod antecedit Motui Proprio *Crebrae allatae* ritum sacrum non

pertinere ad formam canonicam sed esse quid historice formae canonicae praevium.

P. Herman, in laudato articulo, etsi in modo loquendi ritum sacrum considerat uti formam praescriptam ad validitatem, inductam primum ab imperatore Leone VI anno 895 et acceptatam ab Ecclesia, tamen insistit in differentia quae intercedit in modo rem prospiciendi relate ad formam canonicam latinam:

Etiam in hac re observatur discrimen quod inter Orientem et Occidentem intercedit. Latini cum tandem forma celebrationis matrimonii a Concilio Tridentino determinaretur, imprimis naturam iuridicam matrimonii respexerunt ideoque, cum matrimonium consensu contrahentium perficiatur, sacerdoti munus testis qualificati assignatur. Byzantini e contrario in hac re sicut in ceteris omnibus maxime ducti sunt studio traditionis. Antiquissimum ritum benedictionis qui ex primis saeculis Ecclesiae originem habet, tanquam formam necessariam nuptiarum imposuerunt. Id quoque pietati byzantinae congruebat quod forma praescripta non esset mera sollemnitatis iuridica, sed ritus liturgicus quo benedictiones divinae quae in matrimonii sacramento continentur, magis explicitè et visibiliter proponuntur. Idcirco mirandum non est si nostris quoque temporibus Orientales etiam catholici his ritibus tantopere inhaereant et suae traditionis legitimitatem fortiter defendant¹⁹.

P. Herman nullam mentionem facit de signo sacramentali vel de ritu essentiali; at in his ultimis lineis quibus concludit suum articulum videtur clare eum insinuare non sufficere ad explicandum momentum quod in Oriente tribuitur benedictioni sacerdotis, ut haec habeatur uti «mera sollemnitatis iuridica, sed ritus liturgicus quo benedictiones divinae quae in

¹⁹ AE. HERMAN, *De benedictione* (cf. nt. 14) 234.

matrimonio continentur, magis explicitè et visibiliter proponuntur», aliis verbis, aliquid quod sit magis connexum cum signo ipso sacramentali.

Attamen non obstante momento magno quod tribuitur in Ecclesiis orientalibus “ritui sacro” in celebratione sacramenti matrimonii, in M.P. *Crebrae allatae* atque in CCEO sanciantur casus in quibus conficitur sacramentum matrimonii absque praesentia sacerdotis qui perficiat ritum sacrum, eodem prorsus modo ac in disciplina Ecclesiae latinae, codificata in CIC/1917 et nunc in CIC/1983, quae in hoc sectore immutata fere remansit. Huiusmodi casus, uti notum est, sunt: Matrimonium celebratum forma straordinaria²⁰; matrimonium convalidatum renovatione consensus privatim et secreto²¹; matrimonium sanatum in radice²²; matrimonium legitimum quod transformatur in sacramentum per baptismum subsequens unius vel utriusque coniugis.

Efferendum est M.P. *Crebrae allatae* atque CCEO²³ sancire iisdem fere verbis ac CIC²⁴ principium inseparabilitatis pactum coniugale inter et sacramentum inter baptizatos. Vi huius principii dari non potest matrimonium validum inter baptizatos, quod non sit eo ipso sacramentum. Ideo quocumque modo e quocumque momento concurrant duo elementa simul, scilicet et matrimonium validum et baptismus utriusque partis, eo ipso datur et sacramentum matrimonii.

Ideo in dubium vocari non potest perfici reapse

²⁰ CCEO, c. 832, § 1; CIC, c. 1116, § 1.

²¹ CCEO, c. 845, § 2; 846, § 2; CIC, cc. 1158, § 2; 1159, § 2.

²² CCEO, c. 848, § 1; CIC, c. 1161, § 1.

²³ M.P. *Crebrae Allatae*, c. 1, § 1; CCEO, c. 776, § 2.

²⁴ CIC/1917, c. 1012, § 2; CIC/1983, c. 1055, § 2.

sacramentum matrimonii in recensitis casibus in quibus etiam iuxta CCEO initur matrimonium validum absque praesentia sacerdotis benedicens.

Quae cum ita sint, quaerenda est explicatio cohaerens quoad doctrinam de ministro sacramenti. Nemo enim non videt quam magna difficultas exurgat ex eo quod, ex una parte, in utroque Codice sancitur eadem disciplina quae admittit possibilitatem celebrandi sacramentum matrimonii absque sacerdote, ex alia vero parte affirmetur etiam in *Catechismo Ecclesiae Catholicae* in Ecclesia latina ipsos coniuges esse ministros sacramenti, in Ecclesiis vero orientalibus ministrum esse presbyterum qui perficit ritum sacram. Ad quod iuvabit aliquid praemittere de signo essentiali sacramentorum.

3. *Ritus essentialis sacramentorum*

Claritatis gratia, oportet prae oculis habere tres conceptus affines, sed essentialiter diversos, uti iam alias sublineavi²⁵: 1) *Ritus accessorii*, in libris liturgicis praescripti, qui in adiunctis ordinariis servandi sunt ad licitam celebrationem matrimonii. 2) *Forma canonica*, id est sollemnitates servandae ad validitatem in ipsa celebratione matrimonii. 3) *Signum sacramentale*, id est signum sensibile, quod requiritur et sufficit ad validam confectionem sacramenti matrimonii.

Quoad *ritus accessorios*, in Ecclesia latina nullus ritus sacer est praescriptus ad validitatem celebrationis matrimonii. Ideo omnes ritus — preces, lectiones, benedictiones, gestus, etc. — praescripti in libris

²⁵ U. NAVARRETE, *Ius matrimoniale latinum et orientale: Collatio Codicem latinum inter et orientalem*, in *Periodica* 80 (1991) 635.

liturgicis sunt accessorii. Patet sacerdotem vel diaconum tenere observare huiusmodi ritus, si matrimonio celebratur in adiunctis ordinariis (c. 1119); at matrimonium est validum etsi omnes ritus omittantur. Ceterum et laici possunt plures ex his ritibus complere si legitime sunt deputati ad assistendum matrimonio. Etiam in Ecclesiis orientalibus sunt ritus in libris liturgicis praescripti qui servandi sunt ad liceitatem in adiunctis ordinariis (c. 836). At nec diaconus nec laicus potest assistere matrimonio et praeterea sacerdos assistens debet complere ad validitatem matrimonii aliquem ritum sacrum, minimum benedicere spon-
sos (c. 808).

Quoad *formam canonicam*, notum est in Concilio Tridentino acriter discussum esse utrum Ecclesia haberet potestatem necne illam formam imponendi, quia videbatur et ius nubendi illegitime limitari et materiam et formam sacramenti aliquo modo mutari²⁶. Attamen, dissipatis dubiis, praevaluit sententia iuxta quam Ecclesia potest talem formam statuere. Forma enim canonica directe afficit actum iuridicum (pactum, contractum, foedus) illum irritando, nisi observetur; indirecte vero et sacramentum, quia ubi non habetur matrimonium validum non potest haberi sacramentum. Doctrina canonistica inde a Tridentino evoluta est semper maiore claritate affirmans formam canonicam nihil aliud esse quam sollemnitates lege positiva statutas, quae irritant contractum matrimonialem, haud secus ac impedimenta dirimentia iuris humani sunt leges inhabilitantes per-

²⁶ Cf. R. LETTMANN, *Die Diskussion über die klandestinen Ehen und die Einführung einer zur Gültigkeit verpflichtenden Eheschließungsform auf dem Konzil von Trient*, Münsterische Beiträge zur Theologie 31, Münster Westf. 1967.

sonam ad contractum matrimonialem valide ineundum. Qui non observat formam non init matrimonium validum; consequenter nec celebrat sacramentum matrimonii.

Quoad *signum sacramentale vel ritum essentialem sacramenti* animadvertendum est his nominibus venire id minimum quod requiritur et sufficit in ipso ritu ad validam confectionem sacramenti. Iam vero, hoc minimum potest provenire vel tantum ex voluntate Christi, vel etiam ex voluntate Ecclesiae, saltem in aliquibus sacramentis.

Cum vero hoc punctum sit fundamentale in explicatione quam intendo, liceat amplius evolvere recurriendo etiam ad documenta magisterii pontificii.

Ut cum claritate procedamus, necesse est bene distinguere elementa quae in signo sacramentali concurrere possunt. Ad quod adducemus distinctionem propositam a Pio XII in const. apost. *Sacramentum Ordinis* diei 30 nov. 1947²⁷, quam et theologi evolvunt.

A saeculis protrahebatur quaestio utrum ritus dictus «traditio instrumentorum» (id est ut ordinandus trangeret calicem et patenam) esset ritus essentialis necne in confectione sacramenti ordinis in Ecclesia latina. Quaestio ansam praebebat magnis dubiis et anxietatibus conscientiae. Pius XII voluit semel pro semper eliminare huiusmodi fontem scrupulorum. Argumentatur hoc modo: Effectus proprii huius sacramenti «potestas scilicet et gratia, in omnibus Ecclesiae universalis diversorum temporum et regionum ritibus sufficienter significati inveniuntur manuum impositione et verbis eam determinantibus»²⁸. Praete-

²⁷ AAS 40 (1948) 5-7.

²⁸ AAS 40 (1948) 6.

rea certum est «traditionem instrumentorum» non requiri ad validitatem ex institutione Christi, quia in Ecclesia graeca talis ritus non requiritur. «Quod si ex Ecclesiae voluntate et praescripto eadem [traditio instrumentorum] aliquando fuerit necessaria [in Ecclesia latina] ad valorem quoque, omnes norunt Ecclesiam quod statuit etiam mutare et abrogare valere»²⁹.

Pius XII in introductione insinuat distinctionem magni ponderis: Imprimis affirmat Ecclesiae nullam competere potestatem in «substantiam sacramentorum», id est, dicit, «in ea quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit»³⁰. At in ritu Ordinationis factum est, pergit Pius XII, ut, pro temporum et locorum diversitate, ritus varii adiicerentur; «quod profecto ratio fuit cur theologi inquirere coeperint, quinam ex illis in ipsius Sacramenti Ordinis collatione pertineant ad essentiam, quinam vero non pertineant: itemque causam praebuit dubiis et anxietatibus in casibus particularibus».

Ideo Pius XII clare admittit possibilitatem ut in ipso signo sacramentali habeantur elementa duplicis ordinis: 1) Quae ipse vocat «substantiam sacramenti», id est, «ea quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit»; et 2) ea quae ex voluntate Ecclesiae, si quae sint, ad valorem servanda sunt in signo ipso sacramentali.

Ideo summa elementorum quae servanda sunt ad valorem in signo sacramentali recte potest vocari, iuxta terminologiam Pii XII, «ritus essentialis» sacra-

²⁹ AAS 40 (1948) 6.

³⁰ AAS 40 (1948) 5.

menti, qui potest definiri: id nimirum quod, sive ex voluntate Christi sive ex voluntate Ecclesiae, in signo ipso sacramentali servandum est ad validitatem sacramenti. Hoc sensu signum sacramentale est idem ac ritus essentialis sacramenti.

Applicando hanc distinctionem sacramento matrimonii, posset dici «*substantiam sacramenti*» consistere in iis, «quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit». Huiusmodi elementa, uti patet, inveniri debent semper et ubique ac sacramentum matrimonii conficitur. «*Ritus vero essentialis*» consistit in eo minimo «quod sive ex voluntate Christi sive ex voluntate Ecclesiae, in signo ipso sacramentali servandum est ad validitatem sacramenti matrimonii».

Posita hac distinctione nulla difficultas habetur in eo quod, servata semper «substantia sacramenti», *ritus essentialis* diversi esse possint «pro temporum et regionum diversitate», iuxta voluntatem Ecclesiae.

His declaratis, tentemus explicationem cohaerentem invenire quoad ministrum sacramenti matrimonii in Ecclesia latina et in Ecclesiis orientalibus.

4. *Ministri sacramenti matrimonii*

Praeprimis necesse est definire quo sensu sumatur terminus «minister sacramenti matrimonii». Nemo enim ignorat saltem in multis locis Ecclesiae latinae ministrum sacramenti matrimonii sensu populari nec tecnico dici sacerdotem qui legitime assistit matrimonio et ritus liturgicos accessorios perficit. Accedit quod etiam in aliquibus ritibus habentur formulae quae huic sensui largo termini favere videntur, ut est: «Ego vos coniungo...».

At sensu stricto et tecnico in omnibus sacramen-

tis «minister» dicitur persona vel personae humanae, quae, debitis potestatibus ornatae, agentes in persona Christi, uti instrumenta Ecclesiae, cum debita intentione, signum sacramentale conficiunt.

Applicando quod supra diximus de ritu essentiali ad sacramentum matrimonii, potest dici in Ecclesia latina Ecclesiam nunquam exegisse aliud in signo essentiali sacramenti quam id quod Christus statuit, scilicet consensum matrimonialem inter personas iure habiles legitime manifestatum (cf. c. 1057, § 1). Hoc autem signum ponunt in tota sua totalitate ipsi coniuges, ideoque ipsi coniuges et solummodo coniuges sunt ministri sacramenti, iuxta notionem ministri quam supra definivimus.

In Ecclesiis vero orientalibus, «ritus sacer» pertinet, secundum ea quae conati sumus illustrare, non ad forma canonicam sed prufundius ad ipsum ritum essentialem sacramenti, uti elementum, ex voluntate Ecclesiae additum «substantiae sacramenti», id est iis, quae christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit. Iam vero, hoc posito, dicendum est in Ecclesiis orientalibus ad signum sacramentale ponendum concurrunt et coniuges — qui ponunt consensum efficacem, seu elementum ex voluntate Christi servandum in signo sacramentali — et sacerdos benedicens, qui ponit «ritum sacrum», necessarium ex voluntate Ecclesiae in ipso ritu essentiali, seu in signo sacramenti matrimonii.

Hac explicatione admissa, nulla difficultas haberetur, iuxta theologiam sacramentariam, in admittendo sacerdotem esse simul cum coniugibus ministrum sacramenti in Ecclesiis orientalibus. Ex alia parte, datur explicatio congruens illi magno influxui qui, ex traditione millenaria, in Ecclesiis orientalibus tribuitur «ritui sacro» ad constituendum matrimonium.

Attamen restat difficultas circa influxum consensus sponsorum in signum sacramentale. Iuxta explicationem datam, manifestatio consensus necessario ingreditur in signum sacramentale, cum sit «substantia sacramenti», in terminologia Pii XII, seu id quod in signo sacramentali Christus Dominus servandum statuit. Ideo logice procedendo, dicendum est in Ecclesiis orientalibus ministros sacramenti matrimonii esse et coniuges et sacerdotem benedicientem, cum omnes concurrant ad signum sacramentale constituendum. Videtur hic esse sensus multorum textuum traditionis orientalis in quibus sermo est et de consensu et de ritu sacro uti de elementis necessariis ad constituendum matrimonium³¹. Sit exemplo textus synodi Sciarfensis, in Syria: «quod in praecedentibus docuimus et declaravimus, valorem scilicet contractus matrimonii consistere in mutuo consensu sponsorum libero, expresso ad extra ut supra, et in benedictione sacerdotis»³².

Admissa hac explicatione, congruam solutionem invenirent casus, quos supra memoravimus, in quibus tum in CIC tum CCEO initur matrimonium validum ideoque sacramentum matrimonii conficitur sine praesentia sacerdotis benedicientis.

Hi casus theologis et canonistis latinis non creant difficultatem ullam, quod attinet ad ministrum sacramenti, quia ministri sunt ipsi sponsi qui, servatis de iure servandis, contrahunt matrimonium validum,

³¹ Plures textus invenies in confirmationem apud E. HERMAN, *De benedictione* (cf. nt. 14), 213-226, ubi data opera agit de loco quem consensus et benedictio obtinuit in constitutionem matrimonii inde a Leone VI et durante toto medio oevo.

³² Citatus a A. COUSSA, *Epitome* (cf. nt. 17), 221 n. 190. Non est clarum ex contextu utrum benedictio requiratur ad validitatem an tantum ad liceitatem. Verba autem relata videntur indubia.

ideoque eo ipso conficiunt sacramentum. Ecclesia statuit ut his in casibus non urgeat obligatio formae canonicae ordinariae nec praescriptum peragendi ritus liturgicos accessorios. Sponsi contrahunt matrimonium et celebrant sacramentum, et quidem legitime, sola manifestatione consensus, absque forma nec canonica ordinaria nec liturgica.

In Ecclesiis orientalibus, si reapse solus sacerdos est minister sacramenti — uti dicitur — hi casus manent sine explicatione ulla congruenti, quia, vi principii inseparabilitatis inter matrimonium validum et sacramentum, semper ac initur matrimonium validum, eo ipso conficitur sacramentum; et tamen in his casibus non adest sacerdos qui sit minister sacramenti.

Si autem admittitur ministros sacramenti esse et sponso ineunte matrimonium et sacerdotem benedictentem, tunc potest inveniri solutio cohaerens nec discordans cum solutione quae datur in Ecclesia latina. Ecclesia in his casibus statuit ut non urgeat nec obligatio formae canonicae ordinariae nec necessitas ponendi «ritum sacrum» ad validitatem, nec praescriptum peragendi ritus liturgicos accessorios ad licitatem. Ex alia parte non potest esse minimum dubium quin Ecclesia possit statuere ut «ritus sacer» in his casibus extraordinariis non sit necessarius ad valorem, etiamsi in adiunctis ordinariis est elementum ritus essentialis sacramenti. Tandem aliquando quod requiratur «ritus sacer» in ritu essentiali sacramenti pendet a voluntate Ecclesiae quemadmodum et ab ipsa pendet lex de forma canonica.

Consequentia ineluctabilis huius explicationis est quod in his casibus, quos admittit CCEO iisdem fere terminis ac CIC, affirmandum est ministros sacramenti matrimonii etiam in Ecclesiis orientalibus esse solos sponso qui ineunt matrimonium validum, absque

praesentia sacerdotis, quia ipsi et soli ipsi ponunt in his casibus signum sacramentale, seu minimum quod sive ex voluntate Christi sive ex voluntate Ecclesiae requiritur et sufficit in signo ipso sacramenti ad conficiendum sacramentum.

Non me latet quantae et quam complexae sint quaestiones quas modo synthetico tentavi illustrare. Attamen cum nemo dubitare possit unum esse matrimonium in sua structura creationali atque unum esse sacramentum matrimonii in sua structura sacramentali, quaerendae sunt solutiones, in vero dialogo interdisciplinari et intercodiciali, illis quaestionibus doctrinalibus in quibus videntur dari positiones contradictoriae vel maxime discrepantes, etiam intra Ecclesiam catholicam, uti est quaestio de ministro sacramenti matrimonii. Huc tendit hoc meum humile conamen.

URBANO NAVARRETE, S.J.